Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quadrige conluse sunt in plateis aspectus eorum quasi lampades quasi fulgura discurrentia. Recordabitur fortium suorum. ruent in itineribus suis. et velociter ascendent muros eius. et preparabitur umbraculum eius. Porte fluviorum aperte sunt. et templum ad solum directum dirutum et miles captivus abductus est. et ancille eius minabantur gementes ut columbe murmurantes in cordibus suis. Et ninive quasi piscina aquarum aque eius. ipsi vero fugerunt. state state. et non est qui revertatur. Diripite argentum diripite aurum et non est finis divitiarum ex omnibus desiderabilibus. Dissipata est et scissa et dilacerata. et cor eius tabescens. et dissolutio geniculorum. et defectio in cunctis renibus. et facies omnium sicut nigredo olle. Ubi est habitatio leonum et pascua catulorum leonum. ad quam ivit leo ut ingrederetur catulus leonis et non est qui exterreat. Leo cepit sufficienter catulis suis. et necavit leenis suis. et implevit preda speluncas suas. et cubile suum rapina. Ecce ego ad te dicit dominus exercituum. et succendam usque ad fumum quadrigas eius et leunculos tuos comedet gladius. et exterminabo de terra predam tuam et non audietur ultra vox nunciorum tuorum.

III

Ve civitas sanguinum universa mendacii dilaceratione plena. non recedet a te rapina. Vox flagelli. et vox impetus rote. et equi frementis. et quadrige ferventis. et equitis ascendentis. et micantis gladii. et fulgurantis haste. et multitudinis interfectorum. et gravis ruine. nec est finis cadaverum. et corruent in corporibus suis. Propter multitudinem fornicationis meretricis speciose et grate. et habentis maleficia. Que vendidit in fornicationibus suis gentes et familias in maleficiis suis. Ecce ego ad te dicit dominus deus exercituum. et revelabo pudenda tua in facie tua. et ostendam gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam. et proiciam super te abhominationes tuas. et contumeliis te afficiam. et ponam te in exemplum. Et erit. Omnis qui viderit te resiliet a te et dicet. Vastata est ninive. Quis commovebit super te caput. unde queram consolatorem tibi. Numquid melior es alexandria populorum que habitat in fluminibus. et aque in circuitu eius. Cuius divitie mare. aque muri eius. Ethyopia fortitudo eius. et egyptus. et non est finis. affrica et lybies in auxilio eius. Sed et ipsa in transmigratione ducta est in captivitatem. Parvuli eius elisi sunt in capite omnium platearum. et super inclitos eius miserunt sortem. et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus. Et tu ergo inebriaberis. et eris despecta. et tu queres auxilium ab inimico. Omnes